

Corsini a S. Silvestro<sup>1)</sup> typis edito, quod omnimode sibi comparare curabunt.

Den Theologie-Professoren wird eingeschärft „non licere secedere a sententia S. Thomae praesertim, cum agitur de scientia Dei et praedestinatione, de Gratia et in hisce quaestionibus scholasticis communem inter Thomistas opinionem semper sequantur“. (Datum Romae 14. Novemb. 1763.) Der Provinzial P. Nicephorus Deltel fasst die „verbotenen Propositiones“ zusammen unter dem allgemeinen Begriffe jener Sätze, welche theils dem Idealismus, theils dem Materialismus, theils dem Spinozismus „pleraeque e systemate, quod a Leibnitio excogitatum, Wolfius methodo mathematica (sic!) elaboravit, emanant.“<sup>2)</sup> (Siehe über ähnliche Verbote an Universitäten: Mitteil., Berlin, Jahrg. VIII, Heft 2/3, S. 147—176.)

(Fortsetzung folgt im nächsten Heft.)

### »Orationes Christi in psalterio.«

(Confer tom. XXIII. p. 52—64.)

#### II. Ps. 35 (34), Oratio Christi coram tribunalibus falso accusati.

Auctore Fr. de Sales Tiefenthal a Tiefenkastrall, O. S. B.

Si pensamus, psalmum hunc valde similem esse psalmis 109 et 69, qui etiam sunt Orationes Christi patientis, et Joannem in evangelio suo 15, 24—25 Christum sic de Judaeis loquentem introducere: „Εἰ τὰ ἔργα μὴ ἐποίησα ἐν αὐτοῖς, ἃ οὐδεὶς ἄλλος πεποίηκεν, ἀμαρτίαν οὐκ εἶχον· νῦν δὲ καὶ ἐωράκασιν καὶ μεμισήκασιν καὶ ἐμὲ καὶ τὸν πατέρα μου. Ἀλλ’ ἵνα πληρωθῆ ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος ἐν τῷ νόμῳ αὐτῶν“ Ὅτι ἐμίσησάν με ὡρεάν“, quae ultima verba sumpta sunt e versu 19 huius psalmi, et in toto psalmo eandem personam loqui: dubitare non possumus, quin totus hic psalmus dictus sit a Davide e persona Christi, et propterea sit mere Messianicus et non referendus ad historiam Davidis, et in eo expressa sit energia amoris divini, sicut in psalmis 109 et 69, et intendat cavere defectionem a

<sup>1)</sup> Eduard Corsinus a S. Silvestro, geb. zu Fanano im Herzogtum Modena, 1717 Piarist, ausgezeichnete Philolog, Philosoph, Mathematiker. Er lehrte diese Wissenschaften zuerst in Florenz, dann an der hohen Schule in Pisa. Während dieser Lehrperiode gab er 5 Bände »Institutiones philosophicae« und 1 Band »Institutiones mathematicae« (Venedig 1743) heraus. 1754 wird er Ordensgeneral. Mit der Herausgabe anderer Werke beschäftigt starb er, nachdem er 6 Jahre General war und sich nach Pisa begeben hatte, plötzlich vom Schlage gerührt 1763 (nach Schaller 96).

<sup>2)</sup> Obiges Material bisher noch nicht veröffentlicht.

Messia, sicut illi duo psalmi. Cui adstipulatur s. Bruno Astensis scribens: „Dicit rex et propheta David ut iste psalmus adscribatur ipsi David, id est Salvatore nostro . . . . **Loquitur autem in hoc psalmo Salvator noster**; sed, sicut saepe diximus secundum humanitatem.“ 164, 810. Consultis versibus 11 et 12 psalmi, ut tempus aptissimum, cui hic psalmus assignari potest, est illud, quando D. N. in sacratissima sua passione, a falsis testibus accusabatur et interrogabatur.

Auctor huius psalmi est David, sonante inscriptione לְדָוִד, de quo dicit Ecclesiasticus 47, 9 (in fragmento hebraico, detecto a Schechter): נְגִינֹת שִׁיר, et v. 8<sup>o</sup>. ibid. secundum LXX: „Ἐν πάσῃ καρδίᾳ αὐτοῦ ὑμνησεν“ ex quo patet, quanti facienda sint eiusdem sacra cantica, praecipue cum inspiratus esset.

### I. Loci discrepantes.

Versu 1<sup>o</sup>. רִיבָה non est iudica, sed litiga. Item רִיבֵי non est nocentes me, sed litigatores mei. Instar iusti iudicis aut fidelis patroni suscipe causam meam, atque me, iniuste ab hominibus oppressum, et misere a cunctis amicis desertum, in tuam recipe tutelam, causam meam tu ipse agas.

Versu 2<sup>o</sup>. מִגֵּן non est arma, sed clypens, ut 3, 4.

In initio versus 3<sup>i</sup> omittit Vulgata וְלִקְרַאת רִדְפוֹ. סֶגֶר לִקְרַאת רִדְפוֹ. aequat: interclude viam persecutoribus meis, te se eis opponens sive te sistendo in via qua veniunt, sive eis obviam eundo. Iam Exod. 15, 3 nominatur Jehova אִישׁ מִלְחָמָה et describitur ut talis Deut. 32, 41—42 et etiam alibi.

Versu 4<sup>o</sup>. וַיִּבְלְמוּ non est: revereantur, sed: et ignominia afficiantur.

Versu 5<sup>o</sup>. מִיץ non est pulvis, sed palea ut 1, 4. Item דָּחָה non est coarctans, sed impellens scil. inimicos, ut cadant.

Versus 6<sup>us</sup> aliquanto accuratius ac in Vulgata sic verti posset: Fiat via illorum caligo et lubricitates et angelus Jehovae persequens eos.

Versu 7<sup>o</sup>. שַׁחַת רִשְׁתָּם non est interitum laquei sui, sed

foveam retis sui. Porro quae sequuntur sic vertantur: Immerito foderunt, scil. foveam ad. capiendum, animae meae.

Versu 8<sup>o</sup>. שׂוֹאֵה non est laqueus, sed fragor, id est, cum fragore cadat in foveam quam mihi paravit. Item רֶשֶׁתוֹ etiam hic sicut v. 7<sup>o</sup> non est captio, sed rete. Denique ante בְּשׂוֹאֵה nullum ׀ adest.

Versu 9<sup>o</sup> nulla adest copula ante secundam versus partem. Porro יְשׁוּעָתוֹ potius est salus eius, quam scil. Jehova tribuit, quam salutare suum.

Versus 10<sup>i</sup> finis sic vertatur: eripiens afflictum ab eo qui ei praevalet, et afflictum et inopem ab eo qui eum diripit.

Versus 11<sup>us</sup> sic vertatur: Assurgunt testes violentiae: quae ignoro, interrogant me. — Agitur de indole horum testium, et propterea verba praesentia ponantur.

Versus 12<sup>us</sup> sic vertatur: Rependunt maleficium pro beneficio: orbitas animae meae, subintelligatur sors vel status est. Est finis huius versus sententia pro se, qua Christus queritur, quod ab omnibus derelictus est, ut 69, 21 et 22, 2.

Versus 13<sup>us</sup>: Ego autem, dum illi male habebant, vestiebar sacco, affligebam ieiunio animam meam, et precatio mea in sinum meum revertebatur, id est, precans curvabar, ita ut precatio quasi in sinum meum reverteretur.

Versus 14<sup>us</sup>: Ac si (quisque eorum) esset socius, ac si esset frater mihi, (tristis) incedebam: ut qui luget matrem, vel adhuc magis ad literam: sicut in luctu pro matre, pullatus incurvabar. קָרַר hic dictum est de veste atra, de facie lacrimante et non lota, de barba incompta, quae signa erant externa doloris. Videsis Dukes, Rabbinsche Blumenlese, S. 252. שְׁחֹתִי dicitur hic de pondere doloris, quo quis opprimitur, sub quo incurvatur.

Versus 15<sup>us</sup>. Ipsi vero in infirmitate mea laetantur et conveniunt: conveniunt adversium me plebeji et ignoti, lacerant et non cessant. — צִלַּע (38, 18) proprie claudicatio, hic status infirmitatis quo quis semper magis cadit usquedum penitus ruat, germanice Hinfall. Omissum est in Vulgata. Agitur hic de modo quo se gerunt adversarii Domini Nostri in praesente eius passione opponiturque hic modus illi quo se prius ipse gerebat dum illi male

habebant (cfr. Luc. 19, 41: videns civitatem flevit super illam: 23, 28: nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros), ac propterea verba praesentibus vertantur. — נִכְּיִים a נִכָּהּ hic significare videtur plebeji (de Rossi i vili, Cohen des insensés, St. Hieron. percutientes, Symmach. percussores) a נִכָּהּ flagellare, ergo flagellati sensu abiectorum. Vnde LXX. μαστίγες et Vulg. flagella. Sed inter concreta certe melius convenit concretum quam abstractum. קָרְעוּ lacerant, scil. famam meam. — וְלֹא־דָמוּ et non silent, id est, crudelitatis ac violentiae illorum nullus est finis, non cessant a diris suis dilacerationibus.

Versus 16<sup>us</sup>: Cum turpibus placentae scurris vel cum impiis derisorum pro placenta, Cohen: avec les impies de la raillerie du gâteau, de Rossi: tra gl'ipocriti buffoni da focaccia, Delitzsch: mit gemeinen Kuchenwitzlern, frendunt contra me dentibus suis. — Subiectum ad קָרַק sunt plebeji et ignoti versus praecedentis. קָרַק autem, quod est infinitivus absolutus, pro verbo finito positum est. בְּ in בְּחַנְפֵי בְּ indicat comitatum. חַנְפֵי a חָנֵף impurus, profanus, impius, turpis. לְעַג subsannator, derisor amarus, scurra. מַעֲוֵג placenta a forma rotunda sic dicta. Quibus omnibus perpensis, initum huius versus verti debet: Cum turpibus scurris placentae, quibuscum comparari possunt κισσοκόλακες, ψωμοκόλακες, buccellarii medi aevi, niedrige Schmarotzer, Tellerlecker, Bratenriecher etc. Dentium fremitus hic signum est tum despectus tum indignationis.

Versu 17<sup>o</sup>. כִּמְהָ תִרְאֶה non est quando respicias, sed: quousque adspicies. Porro quae sequuntur, sic vertantur: Fac redire animam meam a devastationibus eorum, a leonibus unicam meam.

Versu 18<sup>o</sup>. עֲצוּם gravi aequat numeroso, cfr. Exod. 1, 20.

Versus 19<sup>us</sup>: Ne gaudeant de me qui immerito mihi hostes sunt, ii qui me oderunt absque causa, nictant oculo.

Versus 20<sup>us</sup>: Etenim non pacem loquuntur, sed contra quietos terrae verba fraudum excogitant. Adiectivum רַגְעַת, quod tantum hic occurrit, affine quidem est scriptione cum verbo

רָגַע terrere, et propterea forsitan illud LXX et Vulg. iracundiam verterunt, sed alterius radicis esse debet, cum de eius sensu inter eruditos constet et Jer. 6, 16 מְרַגֵּעַ requies et Isai. 28, 12 מְרַנֵּעַ refrigerium occurrat.

Versus 21<sup>us</sup>: Et dilatant contra me os suum: dicunt, eja! euge! vidit oculus noster (proprie: oculi nostri).

Versu 22<sup>o</sup>. רְאִיתָהּ hic potius est praesens quam perfectum. תִּרְחֶק non est discedere, sed procul abesse.

Versus 23<sup>us</sup>: Expergiscere et evigila ad iudicium meum: Deus meus et Adonai ad litem meam!

Versu 24<sup>o</sup>. Supergaudere alicui, quod tantum in Biblia occurrit, aequat gaudere de aliquo.

Versu 25<sup>o</sup>. In hebraico tantum semel הֵאָחַז euge adest. נִפְשָׁנוּ hic non est animae nostrae, sed est interiectio: Desiderium nostrum! Unser Begehren! Anglus hoc sic circumscribit: Ah, so would we have it. Nec adest in hebraico et in sequente nec Vulgatae.

Versus 26<sup>us</sup>: Pallescant et erubescant simul laetantes de malo meo, induant pudorem et ignominiam qui opus suum sceleratum contra me magnificent.

Versu 27<sup>o</sup>. הִתְחַפֵּץ non est qui volunt, sed qui vult refert-que se ad Jehovam, ac propterea etiam עֲבָדוֹ in fine non verendum est servi eius, sed servi sui.

Versu 28<sup>o</sup>. תִּהְיֶה potius est loquetur quam meditabitur, quod etiam melius convenit functioni linguae. At sermo est de locutione mature reflexa et profunde sensa.

### Explicatio.

Est psalmus hic agitatissimus. Tribus constat sectionibus, alludentibus ad ssmam Trinitatem, in quibus singulis Christus initio orat Deum, ut sibi adversus inimicos, a quibus per summam iniuriam oppugnatur, praesidio sit, eorumque mores, insidias, malignitatem, superbiam describit, in fine triumphans de liberatione, se tanti beneficii memorem, laudes Deo relaturum esse spondet fere sicut in fine psalmorum 22<sup>i</sup>, 109<sup>i</sup> et 69<sup>i</sup>.

In prima sectione, quatuor constante strophis, Orans in prima provocat Deum ad bellum pro se, in secunda et tertia imprecatur hostibus, in quarta triumphat.

In prima strophā precatur Orans Jehovam, ut et instar iudicis aut fidelis patroni et instar bellatoris suscipiat causam suam.

V. 1. Litiga, Jehovah, cum litigantibus mecum,  
Pugna cum impugnatoribus meis.

V. 2. Apprehende clypeum et scutum et exurge in adiutorium meum.

V. 3. Et educe lanceam et interclude viam persecutoribus meis.  
Dic animae meae: Salus tua ego sum.

Examinentur singula.

In primo ergo versu Orans Deum precatur, ut defendat causam suam tamquam iudex, et ut debellet bellatores suos tamquam bellator insuperabilis. Bene ad primam huius versus partem adnotavit s. Cyrillus Alex: „Iudicio certat universorum iudex cum Judaeis, et Deum Patrem, qui in coelis est, controversiae moderatorem esse cupit.“ Migne S. gr. 69, 894. Verbum

אָכַל quod proprie significat comedere, vesci (unde אֶחָד panis), ut Prov. 4, 17. 9, 15. Ps. 141, 4., aliquando idem est ac depascere et devorare, destruere, oppugnare, unde in Niphāl אָכַל significat pugnare, bellum genere, et מִלְחָמָה bellum denotat

tamquam omnia depascens et absumens „Animadvertite quomodo illum oppugnant, et ne sit Deus ac Filius Dei, quantum in ipsis est, prohibent. Praeterea illum maximorum miraculorum operatorem videntes, traducere audebant, quasi ope Beelzebub daemonia eiiceret“ etc. S. Cyrill. Alex. 69, 895. Continuat Orans

Versu 2<sup>o</sup> dicere ad Deum, eum ut bellatorem considerans, ut se muniat quam optime fieri possit contra hostes, et exurgat ad se defendendum. מִיָּגִן potius ad abingendos inimicorum ictus, צָנָה

ad tegendum corpus inserviebat. Quum nemo utrumque simul tenere posset, sequitur, psalmum sensu spirituali accipiendum esse. Particula בָּ in בְּעִזְרָתִי posita est hic pro ל, ut 22, 20.

38, 23. 40, 14. Considerat hic Orans Judaeos ut homines furentes, qui mansueti fieri non possunt. Nescio, utrum hoc loco inductus, vocet S. Clemens Alex. Deum: Frenum pullorum indocilium Στόμιον πώλων ἀδαῶν (Migne S. gr. 8, 682), prout Deus invocari debet adiutor contra hostes indomabiles. -- Continuat Orans

Versu 3<sup>o</sup> provocare Deum, ut lancea exserta intercipiat viam hostibus suis. Vide inter lacos discr. Bene huc applicare possumus quod Clemens Alex. de Logo dicit, quod autem de

omnibus tribus divinis personis valet, quae praecipue per Logon ad extera operantur. „Omnia, inquit, Logos et facit et docet et instituit. Equus freno ducitur, et taurus iugo ducitur, fera laqueo capitur: homo autem Logo transformatur, quo ferae mansuescunt, inescantur natatilia, et attrahuntur volucres. Hic revera equo frenum struit, tauro iugum, ferae laqueum, pisci arundinem, avi rete. Hic rempublicam regit et agros colit, imperat et est administrator, et universa fabricatur.“ Migne S. gr. 8, 678—679. Praeclarum hoc est testimonium de providentia divina et de divinitate Verbi, sed cavendum est, ne nimis urgeatur ita ut libertas hominis negetur et Deus évadat operator malorum. Post invocatum ergo Omnipotentem, ut irritos faciat conatus inimicorum suorum contra se, pergit Orans imprecari inimicis ob eorum malitiam, ut potius moveat Deum ad sibi succurrendum in

**secunda stropha.**

- V. 4. Pudore afficiantur et erubescant quaerentes animam meam,  
Convertantur retrorsum et pudeant cogitantes malum meum.  
V. 5. Fiant sicut palea ante faciem venti,  
Et Angelus Jehovae repellat (eos).  
V. 6. Fiat villa illorum tenebrae et lubricitates,  
Et Angelus Jehovae persequens eos.

Abhor et ergo Christus Deicidium Judaeorum eisque mala adprecat, nisi se convertunt.

V. 4. Pudeant Deicidae. „Haec si ad literam intelligantur, plana sunt; tamen ut ad literam intelligantur, ipsa ratio cogit, quoniam secundum literam completa esse videntur. Si enim in tempore passionis Christi Judaei poenituissent, et de hoc quod facere volebant erubuissent, et ab illa sua prava intentione retro conversi fuissent, et Salvatorem nostrum non crucifixissent, isti duo versus in bonum partem exponi potuissent (possent)“ etc. S. Bruno Ast. 164, 811. — Non solum autem pudeant Deicidae, sed etiam, ut dicitur

Versu 5° instabiles fiant et angelus Jehovae repellat eos, quando poscunt auxilium a Deo, nec offerat orationes eorum Deo. De priore bene scribit s. Bruno Astensis: „Sicut enim pulvis vento resistere non potest, sed ubique spargitur, raptatur et ventilatur; sic populus ille inimicorum impetum sustinere non valens, ubique gentium dispersus est.“ Ibid. Sed non de quovis pulvere hic sermo est, sed de palea, quae ventilando secernitur a tritico, tritico bonos, palea malos symbolizante, uti ps. 1. 4. Matth. 3, 12. Luc. 3, 17. De angelo fumigante consulatur Apoc. 8, 3—5., de non exaudita oratione, ps. 18 (17), 42. — Continuatur

Versu 6° imprecatio: „Omnes autem illorum viae tenebrae et lubricae sunt, quia sua malitia excaecati semper in

errore sunt, et ad tenebras et perditionem festinant, semperque cadentes, et in omnibus delinquentes, ad bonum aliquid agendum surgere non valent.“ S. Bruno Ast. 164, 812. — De angelis bonis infligentibus mala malis consulantur quae dicuntur in Exodo de angelo exterminatore, et quae dicuntur in Apocalypsi de equitibus in equo rubro, nigro, pallido 6, 3—8 etc. — Judaei poenas merentur, quia iniuste iustum persequuntur ut describitur in

**Stropha tertia.**

V. 7. Quoniam sine causa absconderunt mihi foveam retis sui,  
Sine causa foderunt (foveam) animae meae.

V. 8. Veniat ei contritio (quam) ignorat (inopinate),  
Et rete ipsius quod abscondit, capiat eum,  
Cum tumultu incidat in illud.

V. 7. Hoc valet de principibus Judaeorum, qui per traditorem Judam, Dominum Nostrum ceperant et ante tribunal adduxerant, ubi „quaerebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent.“ Matth. 26, 59. „Voluerunt occidere Dominum Jesum Christum. Tanta opera bona, inquit, ostendi vobis: propter quod horum me vultis occidere? Pertulit omnes infirmos eorum, curavit omnes languidos eorum, praedicavit regnum coelorum, non tacuit vitia eorum, ut ipsa potius eis displicerent, non medicus, a quo sanabantur. His omnibus curationibus eius ingrati, tamquam multa febre phrenetici, insanientes in medicum, qui venerat curare eos, excogitaverunt consilium perdendi eum.“ S. Augustin. in Breviar. feria VI in Parasceve. Merentur ergo imprecationem, nisi se convertunt, quam Orans contra eos pronuntiat

Versu 8<sup>o</sup>, de quo Hesychius presbyter adnotavit: „In Judam proditorem, necnon in populum Judaeorum, atque insuper in diabolum ipsum, hoc dictum est. Nam Judas quidem in laqueum colli incidit: populus vero Judaeorum, cum illaqueare putaret, illaqueatur, et sua ipsius captura comprehensus est. Similiter quoque diabolus, cum laqueum crucis excogitasset, per crucem regno suo excidit.“ M. S. gr. 93. 1190.

Confundentur ergo inimici mei, ego autem gaudebo, dicit Orans in

**stropha quarta**, ultima primae sectionis.

V. 9. Anima autem mea exultabit in Jehova,  
Gaudio maximo perfundetur de salute eius.

V. 10. Omnia ossa mea dicent:  
Jehova, quis sicut tu,  
Eripiens afflictum a fortiori eo,  
Et pauperem et egenum a diripiente eum?

V. 9. Loquitur hic Christus de glorificatione sua quae non tantum animam suam, id est, humanitatem suam, sed totum genus humanum, immo terram et coelum gloria et gaudio implebit. Quocum conferantur 16, 9—11. 69, 32—34. 109, 26—31. „Suae resurrectionis laetitiam praenuntiat, quae statim die tertia facta est, inferno ab ipsa Salvatoris anima expoliato, et corpore de sepulcro resuscitato.“ St. Bruno Ast. 164, 813.

Continuat Servator loqui de eodem

Versu 10<sup>o</sup>, ubi ossa pro omnibus membris corporis posita sunt. Sicut enim omnia membra sanctissimi corporis Servatoris passura erant usque ad mortem eius, sic conveniens erat ut gloria et laetitia Redivivi perfunderentur, et glorificata et laetabunda quodammodo dicerent ad Deum: Quis est tui similis (Exod. 15, 11). Revera nemo facere potest talia miracula sicut tu fecisti eripiens me mortuum et Judaeis et Romanis et imperio mortis et donans me nova vita et immortalis! Cfr. Apoc. 1, 5. 18. 2, 8. Consulatur insuper Rhythmica oratio ad unumquodlibet membrorum Christi patientis et a cruce pendens apud Migne S. I. 184, 1319—1324 et S. Joannis Damasceni hymnus in Dominicam Paschae Migne S. gr. 96, 839.

Sic versa indignatione initii in triumphum finalem, Patiens in **secunda sectione** eosdem percurrit affectus tribus in strophis. Nam post descriptam in prima et secunda flebili stilo malignitatem inimicorum et post petitum in initio tertiae Dei auxilium, in fine triumphum agit.

In quinta ergo stropha queritur de testibus violentiae et ingrato corde inimicorum, cui opponit cor suum commiserans de eorum malis.

V. 11. Insurgunt testes violentiae,

Quod non novi, interrogant me.

V. 12. Reddunt mihi malum pro bono,

Orbitas (venit) in animam meam.

V. 13. At ego, cum aegrotarent ipsi, vestimentum meum  
erat saccus,

Affligebam in ieiunio animam meam,

Et oratio mea in sin um meum revertebatur.

V. 11. Omnino concordat sensu hic versus cum argumento psalmi, prout illud pag. 1<sup>a</sup> indicavimus, cum versu 7<sup>o</sup>, et cum 69, 5. Inimici Domini Nostri in eius sanctissima passione et clam et aperte ei vim intulerunt, et ex eo confessionem scelerum extorquere volebant, quae non solum nunquam commiserat, sed quae abhorrebat. Revera erant testes violentiae, non tantum eius sacratissimo corpori, sed etiam eius sanctissimae animae et calumniis et interrogationibus maximam violentiam inferentes. Quis-

nam describere posset, quot et quanta tormenta sustinuit tunc sacratissimum Cor Jesu? Bene s. Bruno Ast: „Venerunt enim, inquit, sicut in Evangelio legitur (Matth. 26, 60. Cfr. Joan. 2. 19), multi falsi testes ante ipsum, quorum testimonia convenientia non erant. Et novissime venerunt quidam, qui interrogantes eum, dicebant: Nonne tu dixisti, quia destrueres hoc templum manufactum, et in tribus diebus illud reaedificares“ (Matth. 26, 60., quocum conferatur Joan. 2, 21)? 164, 813. „Hic manifeste Judaicam impietatem memorat Christus, et iniuriarum quibus adversus se debachati sunt, facit catalogum. Calumniati sunt ipsum coram Pilato adductum Judaeorum principes. Nonnullos etiam advocarunt falso testantes. . . . Tum ipsi causam rogati quamobrem postulantes clamarent: Tolle, tolle, crucifige eum, (Joan. 19, 15), mentiti sunt dicentes: Hic vetat tributa Caesari pendere, et turbas commovet (Luc. 23, 2. Joan. 7, 12). Imo et ante crucis supplicium calumniati eum varie fuerant, nam subditis sibi turbis aiebant: Si hic homo esset a Deo, Sabbatum non violaret (Joan. 9, 16). Affirmabant etiam eum esse daemonicum et furere (Joan. 10, 20), cibi vinique appetentem (Matth. 11, 19), denique vi Beelzebubi patrare miracula (Matth. 12, 24).“ S. Cyrill. Alex. 69, 902. — Continuat Christus lamentationem

Versu 12º, qui omnino concordat cum 109, 5. Bene S. Cyrill. Alex.: „Bene merentem conviciis lacescebant; exhortantem ad salutem lapidibus impetebant; sapientissime docentem et ad pietatis semitas inducentem iniuriis ac contumeliis miseri afficiebant; atque insuper insidiabantur, ut etiam sterilitatem ipsi afferrent, idest, ut eum non solum amicis, sed etiam omnibus quibusvis discipulis orbatum, eum ut peripsema hominum neque vita dignum constituerent.“ Tantae duritiae opposuerat Christus commiserationem suam tenerrimam cum eis ut dicit

Versu 13º, quocum consentiunt 69, 11 et 12. Dubitandum non est, quin Christus pro Judaeis, qui tempore vitae eius mortalis semper aegrotaverant, cum semper in periculo versarentur reiiciendi Messiam, multa poenitentiae opera fecerit, multum ieiunaverit, multum oraverit. Nam quod pro omnibus et singulis, hoc primo loco pro Judaeis fecit Quod certe non sat a fidelibus pensatur. Magis adhuc exaggerat benevolentiam Christi in Judaeos et horum malevolentiam in Christum sequens

#### Stropha sexta

V. 14. Tamquam si ageretur de amico, tamquam de fratre mihi,  
incedebam;

Tamquam lugens matrem, pullatus et incurvatus ambulabam.

V. 15. Ipsi autem in miseria mea laetantur et congregantur,  
Congregantur adversum me plebeji et obscuri,  
Lacerant famam meam incessanter.

V. 16. Cum turpibus placentae scurris  
Frendunt contra me dentibus suis.

Quanta erat teneritudo Cordis Jesu pro Judaeis, quanta rusticitas Judaeorum contra Servatorem!

V. 14. Hic versus describit, quanto amore Cor Jesu complectebatur populum Judaicum qui erat ei sicut amicus ob communitatem bonorum spiritualium, sicut frater ob communitatem bonorum temporalium, et sicut mater ob communitatem generationis. Ad hunc versum illustrandum optime facit quod narrat s. Lucas 19, 41: „Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam dicens: Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis“ etc. Quantam ergo amabat Cor Jesu populum suum, hic autem magis insensatus quam bruta animalia nolebat agnoscere dominum suum Isai 1, 3. <sup>1)</sup> — Qua de re lamentatur amabilissimus Salvator.

Versu 15<sup>o</sup>. Ad hunc versum plene explanandum hic poni deberet tota historia Passionis Domini quod tamen nimis longum esset. Continuatur idem argumentum

Versu 16<sup>o</sup>, qui similis est versui 13<sup>o</sup> ps. 69. Herodes et Pilatus.

Avertens se ab hisce indignis hominibus, vertit se Christus in **septima stropha**, ultima secundae Sectionis, ad Deum, eum interrogans, quanto tempore talia permittat, eique laudem promittens.

V. 17. Adonai, quosque adspicies?

Fac redire animam meam a devastationibus eorum,  
A leonibus unicum meum!

V. 18. Confitebor tibi in Ecclesia magna,  
In populo magno laudabo te.

V. 17. Magni affectus est, quod ait: Adonai, tu qui attingis a fine usque ad finem et fortiter suaviterque disponis omnia, quoadusque otiosus, ut ita dicam, adspicies machinationibus inimicorum meorum contra me nec fers opem et depellis illorum improbitatem? Item quod dicit: Reduc animam meam a devastationibus eorum, id est, libera me a calamitatibus quas mihi inferunt, spoliantes me honore nomine et omnibus notis et amicis, ita ut sim quasi urbs direpta regioque vastata. Pergit instantius: Reduc unicum meum (22, 21), unicum enim habeo animam, reduc illam et libera eam a leonibus, id est, a tam potentibus et tam saevis inimicis. Instantissima est haec oratio divini Salvatoris, proveniens e Corde eius amaritudine repleto. Petit ergo hic Christus

<sup>1)</sup> Omnino aliter Synagoga affecta describitur a Cantico Cantic. 8, 1—2. Tempora mutantur et nos mutamur in eis. Utinam in melius!

glorificari. Glorificatus autem promittit, se magnificas laudes deo oblaturum

Versu 18<sup>o</sup>, qui simillimus est versibus 23<sup>o</sup> et 26<sup>o</sup> psalmi 22<sup>i</sup> et vers. 31—37 ps. 69. Christus laudat Deum in Ecclesia catholica praecipue per sanctissimam Eucharistiam „Confitebor tibi et laudabo te per fideles meos in Ecclesia magna, in Ecclesia catholica, et per universum mundum diffusa.“ St. Bruno Ast. 164, 815. De Missae sacrificio autem bene dicit Concilium Tridentinum: „nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse.“ Sess. 22. decret. de observ.

Bis percursis affectibus a querimonia ad gaudium, etiam in **tertia Sectione** Orans eandem perficit viam. Constat tertia Sectio quatuor strophis. In prima petit Orans, ne laetari possint inimici de ruina sua, in secunda invocat Deum in adiutorium, in tertia petit, ne triumphent inimici, in quarta, ut semper boni gaudere possint. — In

**Octava ergo stropha** petit Orans, ne laetari possint inimici sui, qui mali sunt, de ruina sua.

V. 19. Ne laetentur de me inimici mei mendaces,  
Osos mei sine causa innuant oculo.

V. 20. Quia non pacem loquuntur,  
Sed contra quietos terrae verba fraudum cogitant.

V. 21. Et dilatant adversum me os suum:  
Dicunt: Euge, euge, videt oculus noster.

V. 19. Ne permittas, orat Christus ad Deum, ut inimici mei de successu contra me innocentem triumphare possint, voluptatem quam de malo mihi insonti irrogato percipiunt, nutibus oculorum, modo hominum nequam, testentur. Prov. 6, 12—13. Verba שְׂנֵאֵי הַנֶּפֶס citantur a s. Joan. 15, 25, ut in Christo

tempore passionis eius adimpleta, ut supra diximus. „Quia enim iam totus mundus credit in Christum, ideo Judaei neque possunt, neque audent insultare Christo. Illi autem annuunt oculis (secundum lectionem Vulgatae v. 20), malitiam celant in corde, et in oculis benevolentiam ostendunt. Hoc enim faciebant Judaei, qui Salvatoris nostri doctrinam multoties laudabant, et oculis et tota facie eius verbis annuebant, et quomodo in sermonibus eius eum caperent, cogitabant.“ S. Bruno Ast. 164, 815. Sed secundum contextum hic sermo est de nutibus oculorum ad manifestandum gaudium de malo inimici.

V. 20. Confirmat Christus petitionem suam malignitate inimicorum. Per litoten locutio negativa ponitur pro contraria affirmativa cum emphasi, ut Exod. 20, 7: Non innocentem habebit, quod aequat, gravissime puniet, cfr. ps. 5, 5, 9, 11. 30, 2. Loqui autem pacem aequat proferre eiusmodi sermones

qui pacem vel conservant vel labantem vel plane excussam instaurent. Alexandrinus et Vulgata legerunt.  $\text{יְ$  pro  $\text{אֱל}$ .

Symmach. autem habet:  $\text{Ὁὐ γὰρ εἰς εἰρήνην λαλοῦσι}$ , et Quinta:  $\text{Ὅτι οὐκ εἰρήνην λαλοῦσι}$ . „Mihi res est cum iis, qui ne verbum quidem pacis, amicitiae, benevolentiae proferunt; hominibus duris, efferis, violentis, implacabilibus, qui vias duntaxat scrutantur fallendi ac nocend“ (Calmet), sicut ii de quibus queritur psalmus 120. Pergit Christus: Et contra hominem pacis studiosissimos dolos concinnant, de quo plura vide supra. Certe Christus nihil aliud intendebat nisi pacem instaurare in terra singularis cum se ipsis, hominibus inter se et generi humano cum Deo.

Continuat Christus questum

Versu 21<sup>o</sup>. Dilatant, inquit, contra me os suum risu atque caehinno (22, 8), dicentes  $\text{הָאֵתְּ הָאֵתְּ}$  quod est interiectio gaudens, aut de casu adverso adversarii exultantis, ut patet e Job. 39, 25., ubi de equo in pugnam profecturo adhibitum est, et e ps. 40, 16. 70, 4., ubi de laetitia inimicorum usurpatum est. Ut obiectum ad  $\text{עֵינַי רָאִתָּה עֵינַי}$  subintelligendum est: quod iam diu desideravimus, scil. Christum convictum esse criminis et proinde reum mortis.  $\text{עֵינַי}$  communiter cum singulari verbi construitur

ob unitatem visus. Notum est ex evangelio, quot et quanta crimina, Scribae et Pharisei obiiciebant Domino nostro non solum ante passionem eius, sed praecipue quando in passione sua ducebatur ad diversa tribunalia, quod etiam facere pergebant postquam eum morti tradiderant. Quod non amore Dei et proximi ducti sed propria gloria inflati et ad captandam benevolentiam Romanorum et plebis faciebant, spretis iustitiae legibus. Quisque ergo sibi statuatur, quantum hae bestiae gavisae sint de doloribus et morte inflictis Domino Nostro, et quantum propterea necesse erat Deo vindicare innocentiam. Certo tenerissimum Cor Jesu immensos dolores sentiebat ob tantam malitiam. Provocat propterea Christus Deum, ut festinet ad se iuvandum in

#### Nona strophæ.

- V. 22. Vides Jehova, ne sileas:  
Adonai, ne longe maneat a me.
- V. 23. Excita te et evigila ad iudicium meum,  
Deus mi (Elohai) et Domine mi (Adonai), ad litem meam.
- V. 24. Judica me secundum iustitiam tuam, Jehova, Deus mi (Elohai),  
Et ne laetentur de me.

V. 22. Infert ergo Christus: Quia inimici mei tam maligni sunt, ne taceas, id est, ne me invocantem responso bono indignum habeas, ne sis procul a me auxilio tuo. Docet hic Servator noster, Deum velle orari et exorari, sicut iam luctans cum Jacob Gen. 32, 25 (24) — 33 (32) ostenderit, unde oportet et nos veros Israëlitas evadere. Pergit Christus adhuc instantius orare

Versu 23<sup>o</sup>, provocans Deum, ut expergiscatur et evigilet, id est, se monstret ut Deum vivum, qui curam agit de rebus hominum. Expergiscatur ergo et evigilet, dicit Orans ad Deum, in iudicium meum et in litem meam. Qua in oratione vocat Orans Deum יְהוָה utpote illum, cuius sanctitatem inimici Orantis agnoscere cogantur, et יְיָ, cuius potens auxilium Orans mox experiri possit. Vrget dictum

Versu 24<sup>o</sup> dicens: Eo magis decet, ut me adiuves, quia tu iustus es et iustitiam amas, ergo ne permittas, ut illi scelerati scelerate gaudeant de me. Certe tam fortis oratio apta videri debet ad emollienda etiam corda obstinatissima, et tamen non convertit cor Judaeorum, neque cavet defectionem tot Christianorum a Christo. Maxima ergo est malitia hominum. —

Instat adhuc magis Orans in **decima stropha**

V. 25. Ne dicant in corde suo: Euge! desiderium nostrum!

Ne dicant: Devoravimus eum

V. 26. Pudore afficiantur et erubescant pariter

Gaudentes de malo meo,

Induantur pudore et erubescant

Magnificantes (opus suum) adversum me.

V. 25. Revera si Christus, quem Judaei occiderant, non resurrexisset, et Ecclesia fundata non esset, inimici Christi loqui potuissent et gaudentes locuti essent, sicut in hoc versu dicitur, at cum Christus resurrexerit et Ecclesia fundata sit et perseveret, maximo pudore affecti sunt et afficiuntur continuo Judaei. Bene Dante cantat:

„Però d'un atto uscir cose diverse;

Ch' a Dio ed à Giudei piacque una morte;

Per lei tremò la terra, e il ciel s'aperse.“

Parad. 7, 46—48.

V. 26. Bene describitur hic malitia Judaeorum: 1<sup>o</sup> verbis: Gaudentes de malo. Non gaudent ergo de reparata iustitia per iudicium Servatoris, sed de malo quo adversarium innocentem afficere potuerunt. Quanta differentia inter cor eorum et cor sacratissimum Jesu, quod etiam doloribus affectum eos salvare intendebat. — 2<sup>o</sup> verbis: magnificantes opus suum adversum me.

Non est eis cordi gloria Dei, sed gloria propria, non victoria iustitiae, sed propriae obstinationis, non bonum populi, sed protectio Romanorum. Propterea deceperunt et se ipsos et alios et in foveam ceciderunt ut caeci, et illi qui eos sequebantur. Denique destructione Jerusalem patefacta et punita est malignitas eorum. Confusis malis, triumphum agat Iustus et Deum laudet, prout dicit **Stropha undecima.**

V. 27. Laudent et exultent qui volunt iustitiam meam  
Et dicant semper: Magnificetur Jehova  
Qui vult pacem servi sui.

V. 28. Et lingua mea loquetur iustitiam tuam,  
Omni die laudem tuam.

Similes sunt psalmi 22<sup>i</sup> versus 23—32, psalmi 109<sup>i</sup> versus 30—31, psalmi 69<sup>i</sup> versus 31—37.

Versu 27<sup>o</sup> boni Deum laudare et exultare dicuntur, qui cognoscentes divinam dispositionem de passione Servatoris, ob tam admirabile consilium Deum magnificant, congratulantes cum divino Servatore de eius glorificatione. Quantum coelum et terra exultent de Jesu Christo constituto rege rerum humanarum, et quanta exinde Deo gloria proveniat, exhibet Apocalypsis in tota visione secunda septem sigillonum 4, 1—8, 1., praecipue a 5, 1—14. Claris verbis etiam dicit s. Paulus in ep. ad Philippenses 2, 5—11. Laudant Christiani Deum trinum quovis actu proveniente a Dei amore, praecipue celebratione ssmae Eucharistiae, unde exhortatur s. Clemens: „Concorditer in unum congregati, communi consensu tanquam ex uno ore ad ipsum clamemus totis viribus, ut participes fiamus magnarum et inclytarum promissionum eius.“ Migne S. gr. 1. 278. Libet etiam apponere verba s. Germani Constantinopolitani: „Liquido scientes, non aliunde nobis spem provenire salutis nisi ex pia fide et confessione quae in unum Deum, qui in Trinitate adoratur, efficitur . . . ., semper laudem ipsius Dei qui fecit nos, in ore habemus, et exaltationes eius in faucibus ferimus, omnisque plebs Christi ad perceptionem sanctissimi corporis eius et sanguinis, per quae memoriam mortis eius et resurrectionis secundum ipsius celebramus traditionem; insatiabili desiderio et divinitus mota industria, perurgetur magis, quam cervus ad fontes aquarum.“ Ibid. 98, 183. Et verba Bessarionis: „Τὰ θεῖα πρόσωπα τῆς Τριάδος οὐ μᾶλλον εἰσιν ἐν ἡ τρία. Το μὲν τῆ οὐσία, το δὲ γε ταῖς ὑποστάσεσιν, εἶτε καὶ ιδιότησιν.“ Ibid. 161, 579. Consulatur etiam Tertulliani liber adversus Judaeos. Migne S. l. 2, 633—682.

Versu 28<sup>o</sup>. etiam Christus ipse glorificatus iustitiam et laudem Dei omni die celebrare praedicatur, quod facit in unione

cum populo sancto in terra et in coelo, sicuti patet ex explicacione versus praecedentis. „Dicitur etiam Christus, spiritualis instar victimae, Patri offerri, glorificandi causa, quotidie laudem suam.“ St. Cyrill. Alex. 69, 911. Cfr. Apoc. 5, 6 ἀρνίον ἑστηκός ὡς ἑσφαγγμένον, ps. 16, 7. 22, 26 etc.

Numerus undecim stropharum, coalitus e quatuor et septem, indicat, potentiam mundi superatum iri foedere Dei.

## Die St. Benediktusmedaille.

Von P. Fidelis Busam, O. S. B. in St. Vincent, Penn., Am.

Es ist gewiss als ein erfreuliches Zeichen zu betrachten, dass in neuerer Zeit, besonders seit der Feier des 14. Zentenariums, die Andacht zum heiligen Benediktus einen neuen Aufschwung nimmt. Dazu haben verschiedene Zeitschriften, welche von hervorragenden Mitgliedern unseres Ordens teils zur Erbauung und Belehrung für das Volk, teils zur Behandlung wissenschaftlicher Fragen für einen gebildeten Leserkreis herausgegeben werden, das meiste beigetragen. So z. B. haben diese „Studien“, durch sichere Quellen unterstützt, eine Menge interessanter Gegenstände aus der Ordensgeschichte gebracht, wodurch sowohl die segensreiche Wirksamkeit des Ordens hervorgehoben und zur allgemeinen Kenntnis gebracht, als auch die Verehrung des hl. Benediktus befördert wurde. Andere Zeitschriften, wie die „St. Benedikts-Stimmen“ und das „St. Benedikts-Panier“ haben zu demselben löblichen Zwecke beigetragen, indem sie nebst vielem anderen Guten in früheren Jahren vortreffliche Beschreibungen über die St. Benediktusmedaille brachten und mit gutem Geschicke hierüber alles sagten, was für ihren Leserkreis zur Erbauung dienen kann. Vor allem aber muss der „Messenger de Saint Benoît“ hier genannt werden, welcher seit März 1899 jeden Monat vom Kloster Maredsous in Belgien herausgegeben wird und es sich zur besondern Aufgabe gemacht hat, die Verehrung unseres hl. Ordensstifters mittels der St. Benediktusmedaille zu verbreiten.

Wenn wir nun trotz dieser und verschiedener anderer guten Beschreibungen unserer Medaille es dennoch unternehmen, den Lesern der „Studien“ eine Abhandlung über dieses Wahrzeichen unseres Ordens zu bieten, so ist es nicht unsere Absicht in geschichtlicher und ascetischer Beziehung etwas neues anzustreben, wohl aber dürfte es erwünscht sein, über gewisse liturgische Fragen, welche bisher noch niemals besprochen wurden, etwas Licht zu erhalten. Die Anregung zu dieser Abhandlung gab die in letzter Zeit immer mehr zunehmende Verbreitung der St. Benediktus-